DE STRUMIS

SPECIMEN

QUOD CUM ADNEXIS THESIBUS

CAROLUS GILARDINO

A BALZOLA E MARENCI PRAEFECTURA

ACADEMICI COLLEGII CONVICTOR

PUBLICE PROPUGNABAT

IN TAURINENSI ACADEMIA

UT MEDICINAE DOCTOR

CREARETUR

Anno 1811, *die* 27 *martii*,

hora 4 *pomeridiana.*



IN AEDIBUS ACADEMIAE TAURINENSIS

TYPIS VINCENTII BIANCO.

Ægroti omnes sanari non possunt: medicus enim Deorum potentiam anteiret; verum dolores sedare, morbos intercipere, atque obscurare, medico fas est.

Vid. ARETAEUM de curat. diut. morb. lib. I.

DE STRUMIS.

Morbos chronicos ex iis esse, qui maximam sibi vindicant medentium attentionem, res est omnino certissima. Sane infinitus pene numerus scriptorum, qui acutarum affectionum rimati sunt indolem, minus e contra frequens eorum, qui de chronicis scripsere, adeo ut multa adhuc quoad illas optanda supersint. Fortasse curationis difficultas, cum ob pravum earum ingenium, tum praecipue ob infelicem victimarum conditionem, ea fuit, quae Medicos a chronicis affectubus diutius persequendis absterruit. Non tamen desperandum: nullus enim forte morbus insanabilis est, si nostra non defatigetur patientia; quod quidem alta mente reponens, laudabile duxi strumarum, teterrimi morbi, pervicacissimi, molestissimi, lateque dominantis naturam hoc in specimine vestigare. Nihil novi equidem proferam; neque id a mea aetate, meoque poscendum ingenio. Satagam tamen, ut quantum patitur virium debilitas, quae docuere scriptores congeram, et comparem, quo utilia eruam consectaria.

§. I.

Si quis est morbus, qui medentibus maximum facesserit negotium, profecto strumae sunt; hae quippe multiplices adeo ludunt scenas, ut vix sperari queat fore, ut sat apta definitione omnes complectantur varietates. Hinc rati accuratius describi, quam definiri posse strumas, iis praemissis quae nominis etymon, propius respiciunt, eas, quas proposuere, SAUVAGES, CULLEN, STOLL struma-

rum definitiones, vix delibabimus, ad morbum describendum illico properaturi.

II. Si etymon spectes, morbus est struma a tumoribus factus hinc inde gregatim superstructis; id enim sonare videtur vox *struma* a Latino vetbo *struo* detorta. Graeci *chaeradas*, Itali vero *scrofole* hanc vocant affectionem, quia scilicet, uti scite animadvertunt BERTRANDI, SENNERTUS, aliique, colli glandulas obsidere consuescunt intumescentiae, iis non absimiles, quae in *scrophis* occurrunt observandae. SAUVAGESIUS strumam vocavit *tumorem scirrhosum glandularum colli, mensenteriique, cum labiis, et naso crassioribus* (1). Eam autem dixit CULLENIUS: *glandularum conglobatarum, praesertim in collo tumores; labium superius, et columna nasi tumida; facies florida; cutis levis; tumidum abdomen* (2). Alii vero cum STOLL strumas sic definiunt *ut sint tumores sphaeroidei, cuti concolores, chronici, indolentes, pertinaces, plerumque collum occupantes* (3). At quis est qui praetervideat quot manca dictae offerant definitiones? Etsi vero ex omni parte ipsae non satisfaciant, illud attamen inde didicimus, principem hujus affectionis sedem in lymphaticis glandulis, iis speciatim, quae collum occupant, esse perquirendam, ac lymphaticum systema maximam sibi vindicare partem in morbo. Haud inficiandum interim ossa, viscera, cellulare textum ulceribus, abscessibus persaepe in hoc morbo multari, aliasque occurrere aegritudines, quae specie tenus dissimiles, ab una, eademque scrophulosa diathesi promanant. Quum itaque, ut dicta commonstrant, brevis definitio, seu pressior descriptio non nisi obscurissimam nobis sufficere valeat affectionis notionem, laudabilius ducimus, in omnibus, quae passim prodit, phoenomenis accuratius vestigandis immorari.

III. Perpetuum ferme est in strumis vel a primo affectionis exordio superius labium intumescere, ac findi: vel exiguos illico apparere tu-

---

(1) *SAUVAGES nosol. method.*

(2) *Vsd. CULLEN nosol. metthod.*

(3) *Vid. STOLL. praelec. medc. clinic. t. 1 pag. 26.*

mores sphaericos, aut ovales, saepe mobiles, immediate subter cutim locatos, qui etsi molles occurrant, non omni attamen orbantur elasticitate. Modo utrumque colli latus dicti occupant tumores: modo retro et subter aures assurgunt: modo juxta magnum inferioris maxillae arcum sub mento sibi mutuo occurrunt: non raro alias plures occupant dissitissimas corporis partes; quin et novum non est strumas in locis ab iis, quae superius indicavimus, omnino dissitis, primum apparuisse. Ubi per universum corpus late undique serpit affectio cubiti, genuum, carpi, et tarsi articulos praecipue multari edocet observatio; tunc vero novam dixerim inducentes formam tumores haud amplius mobiles se sistunt, sed intumescentiam offerunt latius diffusam, articulum aequabili fastigio attollentem, ut inde vel difficiles fiant motus, vel prorsus inhibeantur.

IV. Per diutinum temporis spatium, vix spectabilem passi mutationem dicti perstant tumores; mox vero sive ocius, sive serius ampliores fiunt, arctiusque subterpositis partibus haerent; quae eos tumores contegit cutis purpureum tunc nanciscitur colorem, qui sensim sine sensu intensior evadit; molliores et ipsi fiunt tumores, jamque demum in eorumdem sinu humoris cujuspiam percipitur fluctuatio: interim pallescit cutis, hinc illinc aperitur, ac liquida materies erumpit, dum aegroti vix ullam molestiam incusant.

V. Minus infensae sunt, quas hucusque descripsimus, strumae: aliae sunt, quae majorem exercent saevitiem, quin, et lethalibus adoriuntur symptomatibus. Tunc una plures invaduntur corporis partes, ulcera inde nata acri irritante diffluunt materie, profundiores gradatim penetrant textus, erodunt, dilatantur, rarissime ad cicatricem perducenda. Sub tali aegrotantium conditione ipsi oculorum canthi phlogosi corripiuntur: exigui tumores, et superficiales exulcerationes palpebrarum obsident limbos; hinc chronica conjunctivae inflammatio; hinc opacitas corneae, visusque abolitio.

VI. Cautus tamen sis ne strumosos tumores confundas cum aliis a prorsus diversa caussa productis, uti cum parotidum tumoribus, quos Itali vocant *orecchioni*, cum tumoribus cysticis, qui in aliqua cellu-

losi textus colli regione sedem suam figere consuescunt; cum occipitalium, et jugularium glandularum obstructione, quae frequentior occurrit in infantibus a suppressa crusta lactea; cum bubone scorbutico, pestilentiali, venereo; cum hernia inguinali, similibusque. Commemorativa affectionum signa judicium prolaturo lucem affundent. At difficilius erit judicium, ubi scirrhi existentis obrepat dubium; verum et ibi accurata pathematum consideratio omnem omnino dubitationem amovebit; et sane tumor strumosus mollis est, si cum scirrhodeo conferas; ille superficiem exhibet levem, et aequalem: raro inter primordia dolet: utplurimum gregatim aliis sociatus se prodit, tunc praecipue quum strumae universalem constituunt morbum, quod quidem comprobare videtur, docente BERTRANDI (1), internarum strumarum existentia; hic constanter nodosus, et inaequalis est, per intervalla dolens, solitarius, neque necessario cum reliquis strumarum symptomatibus consociatus. Praeterea scirrhosi tumores vix non semper in carcinoma demum degenerant, quod rarissime contingit in strumis: rarissime inquam, interdum enim observatae sunt strumae infensa adeo indole praeditae, ut in cancrum abierint: strumam in cancrum degenerem *cancrodem* CELSUS vocavit. Addere hic praestat tineam, psoram crustosam, et pertinacem, varia mali moris tubercula, quae *frigidorum tumorum* nomine cognita, sedem figere suam in partibus membranaceis, muscularibus, et aponeuroticis, et post diutinas suppurationes in fistulas pertinaces, ac indolentes abire, ganglia, nodos, exostoses, hyperostoses, cariem, quibus ossa spongiosa praecipue multantur, diutinos abcessus, qui tineam, et ophtalmiam (2) consequuntur, aliasque id genus affectiones sedulo a strumis esse distinguendas, attenta instituta tum signorum, cum incedendi rationis consideratione.

VII. Ubi jam provectus fuerit morbus, manifestioribus stipatur,

---

(1) *Vid.* BERTRANDI *oper. anatom. chirurg. tom.* 2.

(2) *Vid.* CHARMETON *essais sur les écrouelles.*

magisque characteristicis signis, difficilius cum aliis confundendus; tunc enim labia, nasique pinnae insigniter tumentes, et crassae: oculi lemmis obsessi: tempora collapsa: genae productae: gingivae ex rubro-pallentes, in rugas contractae, et inaequales: collum breve, et solito crassius vultui symetriae officiunt, adeo ut omnis pereat venustas; hisce in rerum adjunctis, si qui hinc illinc praesto sunt, aperiantur absessus, laxi, et una pallentes apparebunt subterpositi musculi: hinc organorum ignavia, hinc universalis debilitas.

VIII. Hic interdum affectus aliorum morborum videtur amare connubium, quo quidem in casu aliquantulum a more desciscit, plus vero minusve desciscit pro vario aegritudinis, cui consociatur ingenio. Inter morbos, qui strumas comitari visi sunt, RUSSEL (1) adnotante, recenseri merentur febris hectica, febres inflammatoriae, scorbutus, lues venerea; hae complicationes obscuriorem reddunt diagnosim, magis infaustam prognosim, curationem salebrosissimam.

IX. Pro varia morbi sede, complicatione, origine, incedendi ratione, exitu, aliae, atque aliae traditae sunt strumarum divisiones: hinc a sede distinctae sunt strumae in *internas*, et *externas*. Prout vero primum sibi vindicant dominatum, vel alteri morbo succedunt, divisae fuerunt a STOLL in *primarias*, sive *protopathicas*, et *secundarias*, seu *deuteropathicas*: cum alias doleant, nullo alias dolore stipentur, distinctae ideo fuere in *dolentes*, et *indolentes*. Secretae etiam fuere in *inflammatas*, *suppuratas*, *cancerosas*, prout vel phlegmonodeum tumorem simulant, vel jam in ulcus abiere, vel in carcinoma degenerarunt. Quum demum vel manifesta sint strumarum signa, vel sub alterius morbi larva se se abscondat affectio, hinc etiam in *veras*, et *falsas* fuere partitae. Posteriores in plures subdivisae sunt species pro varia, quam exhibent, forma; factum inde est, ut passim Auctores ophtalmiae, crustae lacteae, herpeti, atrophiae, phthisi, psorae, tineae, strumarum nomen adjungant (2).

---

(1) *V. RUSSEL de usu aquae marinae in tabe glandulari.*

(2) *Vid. STOLL op. cit.*

X. Strumas insuper distinguit CHÀRMETON (1) in *haereditarias*, *adventitias*, *occultas*, *ulcerosas*, *compositas*, *complicatas*, *contagiosas*, et *non contagiosas*; quarum quidem divisionum alias falsis inniti principiis, alias a fortuitis desumi adjunctis, nemo est, qui praetervideat eas ideo vix aliquid utilitatis habere cum in morbi pathologia, tum in ejusdem therapeutica posse opinantes haud esse amplectendas dijudicamus.

XI. Quum tamen utilissimum sit, innumeras fere morborum varietates ad quaedam veluti capita revocare, eam lubentes amplectimur strumarum divisionem, quam nuperrime dedit MONTEGGIA (2). Animadvertens illustris Professor pro varietate partium, quas occupat affectio, haud spernendam in pathematis enasci varietatem; ad quatuor classes strumas reducendas esse decrevit. Prior eas complectitur, in quibus quaedam, dixerim, acritatis conditio adesse in corpore videtur, adeo ut crustae nasum, aures, caput obsideant, pervicaces conflictent ophtalmiae, ac diutini materiei purulentae per aures fluxus, variaeque exulcerationes cutaneae detineant. Alterius character est densitas, et obstructio, unde varii nascuntur lymphaticarum glandularum tumores. Tertia scrophulosa ossium vitia complectitur, videlicet sic dictos tumores albidos articulares, et fortasse steatomata ossivora: quarta demum continetur in morbosa conditione, cui maxima debilitas, fere, dixerim, dissolutio sociatur: haec scrophulosa tabes appellari posset; in hac insignes ad scapulas, lumbos, musculum psoas, nates parantur abscessus, quos non raro excipiunt ossium caries, febris lenta, diarrhaea, sudores profusi, et corporis marcor. Quatuor, quas recensuimus strumarum classes, prima *cutanea*, secunda *glandularis*, tertia *ossea*, quarta *purulenta* breviori titulo possent nuncupari.

XII. Quae porro caussae strumis originem praebent? In has inquisituris, juverit a proegumenis exordiri, ab iis videlicet, quae talem inducunt in corpore conditionem, ob quam strumosae

(1) *Vid. loc. cit.*

(2) *Vid.* MONTEGGIA *inst. chirur.*

affectioni facilior pateat aditus. Has inter recensentur temperamentum *lymphaticum* dictum (1), systematis lymphatici summa laxitas, ac debilitas, uti et laxitas systematis cellularis; hinc in strumas proclives ii censentur, in quibus succis plenum corpus videtur, et tumens, ac cellulare systema plenitudinem oggerit ei analogam, quae in sequiori sexu occurrit, quae quidem haud ab exundante pinguedine repetenda, sed potius a lympha propriis in vasis, textusque adiposi cellulis restitante. In talibus observes genas roseo colore tinctas, caeterique corporis habitudinem livescentem, faciem rotundatam, tumidulam, os amplum, oculos extantes, lucidos, saepiusque lacrymis humentes, labia crassa, praecipue vero superius, quod in medio veluti fissum conspicitur; spectabilis adeo est saepenumero hic tumor, ut ad inferiorem usque narium regionem producatur. In iis, qui ad strumas sunt proni, caesaries pallido-fulva, vel cinerea est, rarius brunea, vel nigricans: inferior maxilla solito grandior deorsum propendet in angulum fere terminata: collum breve, crassumque: musculi molles, ac flaccidi: pulsus lentus, parumque renitens: jamque per sanitatem plura subter cutem occurrunt duriuscula corpora fere glandularia per universum corpus interspersa; verbo, ut imagine utar celeberrimi RICHERAND: *L'affection scrophuleuse est en quelque sorte l'exagération du tempérament lymphatique; outrez tous les caractères attribués à cette constitution particulière du corps, et vous aurez un tableau fidèle de cette maladie* (2). Quamobrem ii omnes, in quibus recensiti characteres veniunt conspiciendi, illi prae caeteris strumis evadunt obnoxii.

XIII. Sequior sexus prae virili pronior in hanc affectionem est, minus attamen ac infantes. Prima enim aetas illa est, cui praecipue

---

(1) *Dans la constitution scrophuleuse il y a à-la-fois activité des bouches absorbantes, grande facilité d'absorption, inertie des vaisseaux et des glandes lymphatiques, faiblesse des absorbans, et par conséquent stagnation et épaisissement des liquides absorbés. Voy.* RICHERAND *nosogr. chirurg. t. 1 pag.* 305.

(2) *Nosograph. chirurgical. vol. 1 pag. 304, 2 edit.*

infensae adnotantur strumae: qui materna ubera adhuc sugunt infantes, illi immunes a strumis habentur: ablactati ad pubertatem usque morbo facillime patent; haud inficiandum interim infantes corripi nondum e maternis uberibus exemtos, uti et eos, qui jam pubertatem attigere, quum nonnulla exempla a RADOLFO, HUBERO, et GHERLI relata paria videantur ad comprobandum, ipsosmet puberes non esse penitus ab affectione immunes; ii vero prae caeteris multantur, qui debili corporis habitu donantur, quosque aliunde adversa gravi premit tyrannide fortuna: sane, qui in hospitiis, lanificiis, carceribus, aliisque hujusce generis institutis sedentariam coguntur ducere vitam, ac impurum aërem haurire, qui minus nutrientibus instaurantur alimentis, ii prae aliis frequentius strumis corripiuntur, acerbiusque plectuntur.

XIV. Illud vero non reticendum, varias aetates variis quoque strumarum speciebus obnoxias esse; quod non ignorans cl. MONTEGGIA, animadvertit *cutaneas* infantibus; *glandulares* pueris; adultis et senibus *osseas* et *purulentas* esse utplurimum infensiores, hoc tamen discrimine, ut in adultis thoracis praecipue viscera plectantur, abdominalia in aetate provectis. Neque silendum varias esse anni tempestates, quibus scrophula, quaecumque sit ejusdem species, praecipue delectatur. Quamdam cum anni tempestate connexionem servare strumas, observavit CULLENIUS (1), et ante solstitium hyemale, et aestivum, easdem insolescere utplurimum vidit. Sane tum tumores, tum exulcerationes, quae strumas portendere, aut comitari consuescunt, vere ferme constanter apparent, aestate recedunt, novo adventante vere iterum reditura. Has strumarum periodos, peculiare hoc morbi ingenium non latuisse ROSSEL, et CHARMETON, eorum scripta consulenti patescet.

XV. Opportunum erit hic loci agitatam diu, nec hactenus solutam quaestionem summis saltem labiis delibare. Acriter scilicet disputatum est, utrum inter efficientes strumarum caussas haereditaria labes esset

---

(1) *Vid.* CULLEN. *méd. prat. t.* 2.

recensenda, nec ne. In varias distracti sententias artis proceres: alii priorem tuentur doctrinam, quam alii oppugnant. Hos inter et BROWN, et ejus asseclae accensendi; ipse enim haereditariae labis hypothesim, ceu fabulam traducens, dum strumarum considerat morem, quoddam, dixerim, admittit germen, ex quo ipsae proficiscantur, seu verius aliquam admittit ad morbum praedispositionem (1). At enim vero quum multa hic densis undique tenebris circumducta adhuc superesse cordati quique Pathologi profiteantur, ii non erimus, qui in re adeo obscura, et tot inter dissidentia opinionum commenta, quidquam certi audeamus asserere; liceat attamen conjectantium in modum, quae sentimus, paucis significare. Vel haereditariae affectionis nomine venit peculiaris corporis dispositio, quaedam organorum structura, vel potius peculiare aliquod unius super caetera systemata dominium: tunc haereditarias affectiones admittendas esse haud diffitemur, eo vel magis observantes, frequentissimum esse liberos parentum imaginem praeseferre, eorumque corpus ad eamdem veluti normam videri compositum. Non longe igitur a veritate deflectet ille, qui credat a phthisico parente natum, non phthisim in haereditatem accipere, sed malam eam corporis conformationem, quae ipsum ad phthisim suscipiendam pronum valdopere reddit. Non secus a maniaco, epileptico, vel aliis affectionibus laborante natus, eam mutuabitur corporis conditionem, quae in maniam, epilepsiam, id genus alia ipsum praedisponat. Idem de strumis constituas: parentes cachectici laxo corporis habitu, tum et systematis absorbentis laxitate donati, liberos procreabunt, in quibus eadem corporis adjuncta se sistent, quae valeant praesentissimam in eosdem morbos proclivitatem progignere. Ne tamen credas constantissimum, perpetuumque esse, ut ii, qui a parentibus quapiam aegritudine laborantibus nascuntur, eodem necessario corripiantur morbo; una enim per se non sufficit praedispositio, sed occasionales requiruntur caussae, ut morbus exurgat, quas si cautus devitet praedis-

---

(1) *Vid.* BROVVN *elem. medicin.*

positus, ut recte Gaubius (1) observat, et a morbo immunis evadet.

XVI. Dum vero praedispositiones a parentibus in liberos transmitti posse opinamur, longe tamen ab iis deflectimus, qui vel morbi germina sibi confinxere, quae soboli communicarentur, vel peculiare virosum, dixerim, principium, quo foetus inficeretur, excogitarunt: hujusmodi enim hypotheses acritates ubique collocantes, faventibus sanioris pathologiae luminibus, jam adeo obsolevere, ut in iis refellendis diutius immorari inutile prorsus videatur.

XVII. Alii nec praedispositionem, nec germinis morborum communicationem admittentes, malunt morborum ejusdem indolis in eadem familia frequentiam ex eo derivare, quod cuncti iisdem objiciantur occasionalibus caussis. Verum equidem est peculiares affectiones determinatis delectari regionibus, quatenus eaedem praesto sint caussae occasionales. Cur igitur affectiones, quibus peculiares plectuntur familiae, ab una eademque occasionali caussa et ipsae non erunt derivandae, quum idem sit incolatus, eadem alimenta, eadem institutio in omnibus eamdem familiam constituentibus individuis? Opinio quidem non leve facesseret negotium, ni contrarium edocuisset observatio; non defuere enim parentes, qui morbo aliquo laborantes, quem in haereditatem transmitti posse dubitabant, veriti, ne germen in sobole delitescens, opportuniori aetate evolveretur, liberos seduli ad alias regiones traduxere, quin tamen a morbo evaserint immunes.

XVIII. Perpetuum interim non est, ut qui a parente strumis laborante nascuntur infantes, omnes eadem plectantur affectione, plurimos enim a morbo immunes evadere quotidiana commonstrat observatio: neque mirum id existimes velim, quum enim frequens sit adnotare ex liberis alios patrem, alios matrem tum quoad corporis structuram, tum quoad formam aemulari, ita quoque fiet, ut variam sortiti corporis constitutionem morbo obnoxii sint, quo parens laborat, cui quoad memorata adjuncta propius accedunt. Assertum comprobet observatio, quam habuit Cullenius: pater strumis laboraverat,

(1) *Vid.* Gaub. *institut. pathol. medic.*

patris imaginem praeseferentes natis eodem correpti sunt morbo, dum immunes extitere, qui matris imaginem exhibebant.

XXX. Traditis innixi principiis cum cl. professore SCAVINI, MONTEGGIA, PORTAL, ASSALINI, aliisque haereditariam strumosam praedispositionem admittere haud dubitamus. Ab hac ne hilum quidem deflectens sententia CULLENUS eo usque progreditur, ut doceat rarissimum esse, licet non constans, hujuscemodi affectionem se se in infantibus prodidisse, quorum parentes antea ab eadem immunes vixissent, quod quidem indubia hactenus non comprobarunt observata.

XX. Quicumque porro sit fons, ex quo fluat praedispositio, ob quam proni ad strumas contrahendas varii redduntur homines, sive ipsa a parentibus in liberos transmittatur, sive alia acquiratur ratione, tum ob praeternaturalem systematis lymphatici evolutionem, tum ob solidorum atoniam, tum ob uberiorem lymphae copiam, tum ob aliqua ejusdem vitia, ut nonnulli contendunt, hoc attamen ceu compertum, exploratumque semper habendum, numquam morbum evolvi, ni simul occasionales caussae occurrant: in harum censu veniunt praecipue aër humidus, palustris, densus, frigidus, vel virulentis particulis foetus, ut volunt nonnulli; alimenta vel excessu, vel defectu, vel qualitate peccantia his etiam accensenda: et re quidem vera, ut scite animadvertit CHARMETON, nihil ad pravam adsciscendam constitutionem accommodatius quam primarum viarum vitia: hinc patet, cur strumae frequentius in iis appareant, qui pravae indolis lacte sunt enutriti, vel minus nutritiis, digestuque difficilibus usi sunt alimentis: praecaeteris vero alimentis noxios edere solent effectus furfuraceus panis, caro caprilla, suilla, vulpina, limaces, grandiores maritimi pisces, fagi castaneae fructus, fungi, caseus viscidus, similia: hae quippe substantiae aegre a digerentibus succis permeabiles, eo vel magis si parum attritae ventriculo committantur, difficile subiguntur, atque viscerum chylopojeticorum inertiae, et debilitati non favent tantummodo, sed et pravae notae chylum praeparant, indeque plus minus graves obstructiones, aliaque similia accersunt mala, prout major, minorve erit praeparati chyli a naturali statu recessus, prout major minorve erit inducta tum visce-

rum debilitas, tum inertia systematis lymphatici, cui et chyli, et lymphae dotes perficere competit munus.

XXI. Inter caussas strumarum ultimas non tenet corporis, et vestium immundities: eo vergit RADOLFUS HUBERUS, ut censeat, nihil magis ad strumas in infantibus evolvendas conferre, quam si diu sordibus maneant obsessi; cur et idem de aliis aetatibus non constitues (1)? Aquarum palustrium usus, crustae lacteae, tineae (2), morbillorum repercussio, dentitio laboriosa, pessima, sed tamen frequentissima consuetudo, cui fretae tum matres, tum nutrices, opiata (3) somnum conciliandi ergo teneris praebent infantibus, totidem sunt caussae, quae strumis saepissime favent. An inter caussas, quae strumas progignere valent, cum RICHERAND recensebimus occultam luem, diutinasque curationes mercuralium ope peractas? *Elle est sur tout fréquente dans les grandes villes* (ait Auctor), *elle s'est multipliée de nos jours dans cette capitale, d'un manière effrayante, à mesure que la maladie syphilitique se répand d'avantage, et se modifie dans sa transmission héréditaire. Un grand nombre d'observations m'autorise à affirmer que souvent les enfans scrophuleux naissent des parens vénériens, de manière que l'affection semble s'être transformée en passant des pères aux enfans victimes de leurs débauches. Le traitement mercuriel employé contre l'affection syphilitique produit peut-être moins le scorbut qu'un état analogue aux scrophules etc.*; Hujusce caussae

---

(1) *Vid. opusc. var. dissertat. de glandul.*

(2) *Adnotare praestat hic loci tineae et crustae lacteae repercussionem non posse haberi ceu constantem occasionalem hujusce affectionis caussam, imo probabilius et frequentius inter scrophularum symptomata hanc posse enumerari; proindeque vel scrophulas prioris classis juxta* MONTEGGIA, *vel larvatas, sic dictas a* STOLL, *constituere.*

(3) *Tali methodo* (*ait* RUSSEL) *infantulus sopitur, functiones naturales debiles fiunt, laxus fit corporis habitus, indeque scrophulae, aliaque mala sobolescunt. Vid.* RUSSEL *de usu aquae marin. in tabe glandul.*

influxum denegat CULLENIUS, cujus haec sunt verba: *Dans un très-grand nombre de cas à peine peut-on soupçonner, que les parens dont les enfans sont écrouelleux, aient eu la maladie vénérienne, j'ai vu plusieurs fois, qui ont transmis la maladie vénérienne à leurs enfans chez lesquels il s'est néamoins jamais manifesté par la suite aucuns symptômes d'écrouelles: en outre les signes particuliers à ces maladies sont très-différents, et la différence de leur nature est sur-tout manifeste en ce que le mercure, qui guérit communément avec facilité la maladie vénérienne, loin d'être de quelque utilité dans les écrouelles, les aggrave très souvent* (1).

XXII. Dissident et Auctores in definiendo utrum variola inter occasionales scrophularum caussas veniat recensenda. Alii putant cum DEHAENIO insitam frequentius ac spontaneam variolam subsequi strumas; dum contra fidenter statui posse contendunt alii cum CULLENIO, variolam, sive insita illa sit, seu naturalis, nunquam ceu occasionalem aegritudinis caussam habendam: neque tamen ille est CULLENIUS, qui deneget persaepe contingere, ut presso pede scrophula variolam consequatur; id fortuito evenire existimans, difficilimum esse, quidpiam analogiae unam inter, et alteram affectionem detegere, ex quo inferatur unum ab altero esse derivandum, quin immo plurimis fretus observationibus auctor, animadvertit strumas saepe a superatis variolis in iis infantibus apparuisse, qui jam primitus insignem in dictum morbum afferebant proclivitatem.

XXIII. Sunt qui arbitrentur strumas contagiosa nota esse inurendas, easque per contactum tum mediatum, tum immediatum propagari (2). Quo contagiosam scrophularum indolem comprobarent Parisienses, plurima habuere tum observata, tum experimenta: ex iis vero eo adducti fuere, ut constituerent, alimenta, cohabitationem, lintea, aërem, tum praecipue, quum ulcerosae sint strumae,

---

(1) *Vid.* CULL. *loc. cit.*

(2) *Vid.* CULLEN. *op. cit.*

totidem esse media, per quae possint communicari. Hanc sunt amplexati sententiam CHARMETON (1), ARNALDUS a Villanova (2), ZACUTUS Lusitanus (3), DEVEAUX, LESEG, aliique: his duobus postremis adeo alta mente defixa haec insiderat opinio, ut strumosos a sanis semovendos praeceperint. Nec longe ab hac sententia deflectens BUCHAN (4), strumam utpote contagiosam facile infantibus tum a matre, tum a nutrice communicari contendit. BORDEAU contagiosam scrophularum indolem propugnaturus aliquot in medium adducit historias: narrat scilicet, juvenem sponsam, cujus sponsus scabie, et strumis laborabat, iisdem tentatam affectionibus fuisse: scrophulosum, ac postea tabidum fatis cessisse virum, cujus uxor vitam cum morte commutaverat a scrophulis, quas exceperat insanabilis tabes; mentionem insuper injicit Auctor cujusdam adolescentulae athletico corporis habitu, et temperamento praeditae; quae nupta viro scrophuloso eodem, brevi a nuptiis correpta morbo, non multo post ob hanc caussam extremam vidit diem (5). At vero quid pauca haec probant exempla, dum contrarium quotidiana evincunt experimenta? Se observasse in nosocomio Divi Lodovici Lutetiae Parisiorum, ait RICHERAND, strumosos cum aliis aegrotantibus uno eodemque lectulo cubantes, eodem utentes poculo, alimenta ad invicem permutantes, aliaque solaminis ergo communia habentes; numquam tamen communicatam affectionem vidisse. HEBREAD scrophulosum pus eo inserebat consilio, ut dignosceret utrum per traducem propagari posset morbus, necne; at numquam hac arte eum evolutum observavit: quod quidem in utroque casu contigisset, si reapse contagiosum morbum sisterent strumae; si vero perpendamus atmosphaericum aërem

---

(1) *Vid. op. cit.*

(2) *Vid. princip. medicin.*

(3) *Vid. op. omnia.*

(4) *Vid. medic. domest.*

(5) *Voyez les prix de l'Académ. chirurg.*

contagia late undique non diffundere, sed potius decomponere, ut invicta comprobarunt experimenta a cl. Professore BUNIVA (1), aliisque instituta, ab omni veri specie non recedemus statuentes, iis in casibus, in quibus Veteres contagium ab aëre propagatum, ceu strumarum caussam incusabant, morbum ab aliis fontibus esse derivandum.

XXIV. Si quae proposuimus invicta non suppetunt argumenta commonstrantia strumas non esse contagiosas, si dissentiunt in contagiosa strumarum natura definienda Auctorum sententiae, eo tamen tum cl. Virorum, tum omnis aevi observata collineant, ut earumdem endedemicam indolem citra omnem dubitationis aleam collocent: et re quidem vera in imis Alpium, et Pyreneorum convallibus, in Hispania, Batavia, Britannia endemicas occurrere scrophulas constat, ut et compertum est, endemicas easdem esse in nonnullis institutis, lanificiis, nosodochiis, virginum coenobiis, similibusque locis.

XXV. Recensitas hactenus occasionales caussas in corpus agentes ad strumas praedispositum morbum evolvere, forma, pathematibus, sede varium, prout varia sunt aetas, temperamentum similiaque, aegrotantis adjuncta, res est omnino comperta. Multiplices hujuscemodi morbi varietates illae sunt, quae maximum medentibus negotium facessentes in caussa fuere, cur Viri etiam celeberrimi in statuenda strumarum caussa proxima quammaxime insudaverint, atque in dissitas omnino sententias abierint. Has obiter delibare ab instituto nostro alienum haud esse eo vel magis putamus, quum inde, ni veritatem attigerimus, id saltem assequamur, ut rei difficultatem intimius sentientes, minus pudeat ea ignorasse, quae relotypa natura sacro quodam tegmine undique obduxit Atque, ut a divo Sene exordium habeamus, adnotabimus, HIPPOCRATEM ceu effectricem strumarum caussam pituitam incusasse (2): modo materiem frigidam, modo uberiorem pituitae co-

(1) *Vid. epizoozia bos-ongarica.*

(2) *Vid. HYPPOCRAT. de glandul.*

piam morbum constituere autumabat GALENUS (1) lymphae visciditatem, lentorem, aliaque hujus census factitia humorum vitia criminantur alii, aliique cum BROUZEL (2) in humorum aciditate, solidorumque organico vitio scrophularum proximam caussam collocandam esse contendunt. Eam reponit MONTEGGIA in debilitate, et acritate: postremam sive prioris esse effectum, sive aliunde proficisci arbitretur, eam ceu scrophularum characterem tantummodo spectat. Nimii essemus, si omnes vellemus recensere Auctores, qui in definienda strumarum proxima caussa toti incubuere; alii enim specificum incusant miasma, syphilidem alii, aliique aberrantem arthriticam materiem: alii alia. Etsi vero in tanta rerum obscuritate, et inter tot opinionum commenta satius forte esset cum STOLL asserere, *strumarum caussa propria ignoratur*; attamen suspicantis in modum cum cl. RICHERAND opinabimur, siqua strumis assignari proxima caussa potest, eam in systematis lymphatici atonia praecipue esse perquirendam; lymphatica quippe vasa per universum corpus, et praecipue per cellulosum textum disseminata, miram parietum laxitatem offerunt, simulque insignem in osculis absorbentibus actionem. Hinc cur magna serosorum humorum quantitate imbuantur, volumine crescant; hinc cur textus dilatentur, ac tumeant, aliaque sobolescant strumarum pathemata. Ne tamen quis succenseat velim, sat firmum in ea me esse sententia, ut credam omnibus numeris absolutam hanc esse doctrinam: vetant enim perplurima, quae eo me ducunt, ut asseram, valdopere non esse allaborandum in perscrutanda strumarum caussa proxima, quum vix ulla spes subsit fore, ut tuto ipsa dignoscatur. Quae cum ita sint, prudens erit consilium in ea praesertim inquirere phoenomena, quae peculiare morbi ingenium constituunt, quae eum a caeteris cunctis sejungunt, quae ejusdem indolem, incedendi rationem, exitumque varium revelant: quod quidem sequentia docebunt.

---

(1) *Vid. in Isagoge.*

(2) *Vid. essai sur l'éducation.*

XXVI. Strumas ceu morbum gravem, et ominosissimum habentes permulti inter artis proceres, de eò talia scribunt, quae miserandos heu nimium! eos commonstrare videntur, qui ipso laborant. *Plurima sunt*, ait ZACUTUS Lusitanus, *quae de hoc leonino, rebelli, atque insuperabili morbo ab Auctoribus scripta sunt*: et alibi: *dirus morbus scrophula est, cum quo saepissime, incassum tamen, medici laboriose luctati sunt: pertaesi tamen vehementis laboris rusticorum opem implorant, nam hoc herculeum malum opprobrium medicorum dici potest* (1). At fidentiores Neoterici, etsi strumas spectent velut pervicaces, et difficile solvendas, illas attamen incurabiles non dicunt, quum iis in propatulo sit, varium omen eas portendere, atque pro varia aegrotantis aetate, constitutione varia, varia idiosyncrasia, morbi gradu vario, aliisque similibus modo malum, modo bonum praesagium afferre: atque, ut ab iis, quae minus faustam prognosim praebent, exordiamur, observabimus tumores duros, indolentes, scirrhosos male ominari, eoque pejus esse omen, quo duriores erunt tumores. Si loca afficiantur, quibus artis praesidia nequeant admoveri, minus aequa sanationis est spes. Tumores chronici, lividi, dolentes, mali moris male praesagiunt: debiles, pauperes magis a morbo periclitantur: gravior hic est, si cum aliis connubium iniverit. Strumosa vitia, quae interna viscera invaserint, nullam admittere curationem ut plurimum existimantur: ut plurimum dixi, quum habeam compertum, RUSSEL feliciter quandoque eas profligasse: insanabilia pariter habentur vitia articularia, et ossea, necnon ea, quae tabis scrophulosae sunt propria: hae, quippe saepenumero visa sunt ominosissima, et lethalia (2). In universum, ait CHARMETON, morbi effectus sunt formidandi, aequus enim subest metus, ne morbi caussa destrui possit, omnesque removeantur effectus, quos ipsa produxit. Quae debilitatos homines afficiunt scrophulae, infensiores, curatuque difficiliores haben-

(1) *Vid. oper. citat. tom.* 1, *pag.* 155.

(2) *Vid.* MONTEGGIA *loc cit.*

tur; huc spectat illud HIPPOCRATIS, *morbos esse graviores, quo minus cum aetate, et cum temperamento consentiunt*: puberes corripiens affectio, tubercularem phthysim, sternique cariem adducit, in senibus mesenterii glandulas praesertim multatur; hinc obstructiones, hinc ascites utplurimum lethales.

XXVII. Teterrima affectio innumeras neci committit victimas, sive in infantia, lentam adsciscens corporis emaciationem, sive sub aetatis aprili frequentem, siccamque procreans tussim in lentam phthysim scrophulosam, vel tubercularem dictam degeneraturam. Pueri delicatuli, qui tegumenta mollia, rosaceo colore tincta exhibent, quique videntur omnino inculpata valetudine perfrui, persaepe ab ipsa invaduntur, ac pereunt (1).

XXVIII. Verumtamen non semper adeo infausta prognosis habetur: minus erit discriminis, si morbus recens fuerit, adventitius, non haereditarius: si benignam praesetulerit indolem, si juvenem athetico pollentem corporis habitu corripuerit, si minus sit partium, quas multaverit, momentum: imo compertum est, quae corripiunt infantes strumae, eas, pubertate adventante, decedere; quod ante pubertatem contingit rarissime.

XXIX. Ordo jam monet, ut curandi morbi methodum expendamus; non tamen ii erimus, qui in omnibus singillatim percensendis immoremur medelis, quas per varias aetates empyrismus invexit: etenim et longius a nostro nos abduceret instituto, et aliunde non nisi grave esse posset ea recolere, quae nullis freta principiis, nullis observationibus sancita salutaris artis progressus tot per saecula sunt malo omine remorata. Nos ea passim exponemus, quae saniore ducti pathologia medici, adversus strumosam affectionem passim proposuere.

XXX. Scrophulae vero curatio vel prophylactica est, vel palliativa, vel absoluta, vel, ut alii vocant, radicalis. Quotquot de strumis scripserunt Auctores unanimi consensu profitentur difficillimum esse stru-

---

(1) *Vid.* ASSALINI *essais sur les vaisseaux lymphatiques.*

mas praecipue inveteratas e radicibus evellere. Curandum itaque est, ut terrifici hostis insidias repellamus : si enim spes aliqua fulget invasurum arcendi, vix ulla superest ubi jam tyrannidem exercet. *Suivons* (cum amantissimo professore nostro SCAVINI loquamur) *les conseils du savant éditeur des oeuvres de POTEAU; et occupons nous de leur première naissance, de la conservation et de la santé de ces êtres malheureux, dans lesquels nous avons des soupçons qu'il existe le germe ou la prédisposition à cette maladie dégoutante, nos conseils diététiques et hygieniques vaudront mieux alors que tous les remèdes, et réunissons nos voeux à ceux du respectable MAHON, afin que le Gouvernement avec des loix sages sur le mariage, et sur l'éducation physique des enfants dès les premiers tems de son existence, seconde nos efforts pour extirper tant de maux chroniques, qui dégradent l'espèce humaine* (1).

XXXI. Nulla vero potior haberi potest proplylactica methodus, quam cauta occasionalium, quas enumeraverimus, caussarum derivatio. Infantes itaque mundi sunto : linteamina saepius mutent : nutrientibus, digestuque facilibus enutriantur alimentis : sunt, qui commendent, ut rosmatini, anisorum, foeniculi pulvis cum farina ad parandum panem intermisceatur : vinum sit generosum, at simul moderatus ejus sit usus (2) : identidem aqua calcis secunda epotetur; hisce nostris regionibus laudatur aqua S. Genesii; aprica celsiora, ventis defoecata loca inhabitentur; nihil enim magis ad valetudinem, vel servandam, vel turbandam confert, quam aër. Hinc HYPPOCRATES jamdudum docuit *qualis aër, talis spiritus, qualis spiritus, tales humores* (3) : prout itaque aër erit purus, siccus, liber, salubrior et erit, et contra; humiditas quoque, frigusque devitanda : indumenta sint calida, sicca : sanctorianam perspirationem promoveant frictiones vel siccae, vel per lanam, aromatico foetam vapore institutae. Praeceteris vero jubenda

(1) *Voyez SCAVINI, traduct. de la 5 part. des élemens de médecin. de BROVVN.*

(2) *Voy. prix de l'Acad. t. 4 dissertat. de TISSOT sur les regisr.*

(3) *Vid. HIPPOCRAT. de aëre aquis, et locis.*

animi hilaritas: contrarius enim affectus, moeror videlicet, morborum est caussa frequentior: praecipue in hospitiis, ac nosocomiis, quemadmodum scite animadvertunt PINEL, et RICHERAND, ac quotidiana demonstrat observatio. Uti graviores opprimunt labores, ita et otium vires enervat: hinc moderatum corporis exercitium ad morbum mitiorem reddendum merito commendatur.

XXXII. At vero, si tum maxima aegrotantis debilitas, tum pravum affectionis ingenium indicata eludant praecepta, tunc satagendum, ut ni morbum profligemus, ejusdem saltem vehementiam, quoad licet, obtundamus. Animadvertendum interim hic loci, perfectam nullam obtineri posse morbi curationem, si locali affectioni, qua modo hae, modo illae partes, et lymphaticum praesertim systema plectuntur, obviam tantummodo eat medens; universum enim elanguescit systema, quod perinde opportuna interna poscit auxilia. Quamobrem celebrioribus auctoribus adstipulati opinamur, praesidia ad scrophulas curandas idonea duplicis generis esse: aliis quippe generali occurremus atoniae, eique praecipue, qua lymphaticum laborat systema: alteris peculiaria symptomata, quae innumera esse possunt, debellare curabimus.

XXXIII. Tanta vero nullo non tempore cognita morbi pervicacia, tantaque habita curationis difficultas, ut millena sint pertentata remedia, ac natura, prorsus omnis exhausta, quo, si fieri potuisset, morbus devinceretur. Fatendum tamen, saepenumero omnia medici studia, omnia artis praesidia vix non irrita cessisse, atque persaepe, pubertate adventante, per se decessisse morbum, qui omnia illuserat artis conamina. At enim vero, etsi vix ulla fulgeat restituendae salutis fiducia, eruntne aegroti omnino deserendi? Haudquaquam profecto; gloriosum enim est, ac una dulce ea saltem demulcere mala, quae penitus superari nequeunt; hinc prophylacticam propositam methodum probe secuti, atque hygienicorum et diaeteticorum non obliti praeceptorum, pharmaceutica ea praescribemus praesidia, quae utiliora adjuncta docebunt. Ex tonicorum, et adstringentium classe praesertim ea esse depromenda, ipsa ratio experientia suffulta

suadet (1). Cortex peruvianus, ejusdemque varia praeparata palmam caeteris facile praeripiunt: sequuntur martialia, et antimonialia cum sola, tum et analogis aliis remediis consociata. Quoad priora, existimat LALOUETTE, haud inter morbi initia, sed tantum versus morbi finem fore administranda. Atque RICHTER antimonialia dumtaxat praescribebat, ubi ulcerosae occurrebant strumae; eo fretus consilio, ut eam expelleret acrimoniam, quam in humoribus subesse arbitrabatur; cum enim humorum tenacitatem attenuandam esse, et glandularum obstructiones reserandas existimabat, uti in glandularibus tumoribus, tunc ad muriatem mercurii, et ad cicutae extractum confugiendum esse, docebat. Sunt, qui ad id operis mercurium vel per se, vel cum antimonialibus conjunctum, uti in aethiope antimoniato, commendent. At qui haec proponunt praesidia cl. Viri, non omnino consentientes circa eorumdem administrationem, modo cum RICHTER ea praescribunt, ut obstructionibus medeantur; modo ut febrem accendant, quam depuratoriam dixit BROUZEL; modo ut alium similem producant effectum. Mercurialia numquam conducere, nisi ubi strumosa affectio complicetur cum lue venerea, imo noxia semper evadere, cum aliquam, quaecumque sit, procreant febrem, est CULLENII sententia: martialia variis aliis nupta substantiis, lignorum diaphoreticorum decocta, extractum gentianae, decoctum ex glandibus quercus roboris, aqua calcis, decoctum paratum ex binis unciis foliorum tussilaginis farfarae, libra una aquae, cui syrupus tussilaginis adjungatur, ejusque bina cochlearia singulo bihorio propinentur, tum et lintea eadem uda extus admota, aliaque hujus farinae remedia passim ab Auctoribus commendantur. Succum ex dicta expressum stirpe sub efflorescentia lecta maximis evehit laudibus CULLENUIS (2); alii digitalis purpureae extractum a granis sex ad duodecim, una cum indicato succo praescribunt. QUARIN et ipse farfaram fidens eo laudat consilio, ut scilicet salutaris febris exoriatur: ipse enim post alios observaverat,

---

(1) *ALIBERT élément. de thérapeut. tom. 1 pag. 22.*

(2) *Vid. CULLEN. op. cit.*

sub talibus adjunctis utilem se sistere febrem. Quod quidem admodum probabile esse ducimus, eo vel magis quum, teste RICHERAND (1), phlogosi activa suborta, cui febris facile adjungitur, strumosa ulcera ad perfectam deducta sanationem sint visa. Ononidis radix pulverata ad drachmam unam intra diem sumenda, tum et ejusdem decoctum in strumarum curatione fuere laudata. Neque oblivioni sunt tradita salia nonnulla, inter quae recenseri merentur murias calcis, et murias barytis: a priore miros in mesenterica atrophia effectus se obstinuisse a granis duodecim ad vigintiquatuor in infantibus, et ad drachmam unam in adultis porrecto, tradit FOURCROY: HUFELAND, PINEL, uti et cel. Professor BONVICINO in lymphatici systematis affectione posterius commendant auxilium.

XXXIV. Inter remedia ad strumas debellandas celebrata non ultimae memorandae aquae minerales cum intus tum extus administratae. Quaenam vero inter tot minerales aquas praeferri mereantur, non facile dixeris: omnes certe, et ferrugineae, et sulphureae, et salinae, et acidulae in usum fuere vocatae, et cunctae emolumenta attulisse visae sunt. BORDEAU utilissimas adnotavit Bonnenses, et Baregenses, atque ceu utiles habentur hac nostra in regione aquae S. Genesii, Vinadii, et Statiellae. Usurpata quoque fuit aqua maritima, de cujus usu utilissimam dedit dissertationem RUSSEL: at etsi mira de ea tradat Auctor, eam ceteris efficaciorem instituta non comprobarunt pericula. Ipsos asellos utiles in scrophulis sanandis fuisse, docent celeberrimi Viri: namque, tradente MORGAGNI, scrophulis laborantem adolescentulam, administrato per mensem asellorum infuso, ex integro pristinae restituit saluti VALLISNERI.

XXXV. Quum vero chronicam persaepe induat speciem affectio, illud alta mente reponendum, quod praecipit BERTRANDI, jamque docuerat HOFFMANNUS, in ejusdem remedii usu diu non esse pergendum: assuetudo, quod omnibus notum, sensibilitatem pedetentim

---

(1) *Vid. oper. cit.*

obtundit, ut efficacissimum etiam auxilium post diutinum usum inactivum prorsus evadat.

XXXVI. Hactenus proposita universalem internam curationem respiciunt, a qua aequius plura sperabimus. Restat modo, ut et videamus quae locali affectioni debellandae idonea censeantur. Sunt tamen nonnulli, quos inter excellunt BUCHAN, BRUNO, et CULLENIUS, qui inutilem localem curationem dijudicant. Horum tamen nos non juvat sententia: licet enim per se impar se praebeat ista ad morbum radicitus evellendum, concurrit tamen cum curatione universali, hujusque efficacitatem adauget. Longius vero progressum GHERLI (1), qui absque ulla paradoxi formidine contendit una externa esse usurpanda remedia, et ab internis contra abstinendum, quippequae morbum magis exasperare valeant, nullus dubitet unquam, eo vel magis quum nemini arrideant observata in medium adducta ab illo, cujus doctrinam secutus est nemo. Profecto scrophulosa cachochymia graviter adeo peculiarem saepe afficit partem, ut et efficacius auxilium, quamvis generale systema restituere aptum, non tamen par sit topicam affectionem curare, et contra, quae hanc curare posse creduntur, imparia se praebent frequenter, ni simul universalis systematis emendetur atonia.

XXXVII. Illud vero omnino perarduum est, localem strumosae affectionis curationem sat apte aperire: tot enim, tantaeque sunt varietates, quas passim exhibet morbus, ut et principes in arte Viri omnes comprehendi posse, desperent; equidem porro cui et notionum supellex, et ingenii vires deficiunt, in iis vestigandis tantum immorabor, quae frequentius scrophulas comitari consuescunt.

XXXVIII. Praecipuam universalem strumarum curationem in tonicis, et roborantibus contineri in antecessum aperuimus: at quaeso topicae curationi hujuscemodi eritne quoque accomodatum praeceptum? Aliquot, ni mea me fallit opinio, momentosas considerationes illud promereri censendum, speciatim ubi de tumoribus glandularibus, et articularibus agitur: ibi enim tres distinguendi veniunt affectionis

(1) *Vid. Centuria d'osserv. med. chirurg. tom.* 1 *pag.* 81.

periodi. *Initium*, quod plus minus dolens, et fere inflammatorium esse consuevit. *Status*, in quo minor est dolor: deinde *exitus*, qui suppurationem utplurimum adducens dolores iterum provocat, illis saepe vehementiores, qui in priori periodo solent observari. Nunc vero quum prima periodus, ceu inflammatoria sit habenda, cuique patet emollientia remedia potius ac tonica aptanda parti esse, tum et hyrudines, cucurbitulas scarificatas, id genus alia. BENIAMINUS BEEL, aliique remedia stimulantia constanter noxia tunc temporis existimantes satius esse dijudicant, tumores aëris contactui objicere, absque ullo externo praesidio (1). In altera periodo, in qua minor est irritatio, sensim ad opposita remedia fiat transitus, ad ea videlicet, quae paria sint humorum stagnantium absorptionem promovere, tonumque affectae parti restituere; huc spectant emplastra, cerata, et linimenta saponacea, mercurialia, ex cicuta, ex gummi ammoniaco in aceto scillitico soluto, ex potassa in aqua soluta, vel ex ammoniaca cum oleo olivarum commixta (*linimentum volatile* vocant): huc spectat linimentum paratum ex tribus cochlearibus muriatis sodae, oleo nucum juglandum, addita aliqua fellis bovilli quantitate, quod quidem commendat STREIT (2), jamque laudaverat GHERLI (3); hisce in rerum adjunctis maximam se obtinuisse utilitatem ab aquis, lutisque sulphureis, testatur BERTRANDI: tunc alii praecipiunt suffumigia ex succino, cinabaro, vapores ex aceto, candentibus saxis affuso per tubum ad tumorem directa. Frictiones quammaxime commendans WANSWIETEN, ait: *Quantum valeant frictiones in resolvendis obstructionibus, docent observationes medicae, parotidem glandulam induratam plurimis, illisque efficacissimis remediis frustra tentatam resolutam vidi, dum bis de die vaporibus aquae tepidae cum aceto exposita, prius parte pannis laneis perfricatur per horam. Idem in strumosis colli glandulis observa-*

---

(1) *Vid.* BEL. *institut. chirurg. tom. 5 pag.* 223.

(2) *Voy. mémoir. de l'Académ. de Vienne.*

(3) *Vid. loc. cit.*

tum est saepius (1) : sed prae caeteris dicto in stadio utiles sunt habiti a pluries, laudato BERTRANDI, fotus ex aqua maritima. *Tanto è il vantaggio* (ait chirurgiae hac in nostra Academia restaurator), *che da queste fomentazioni ricavano gli ammalati in Inghilterra, che io stimo felici quelli, che, avendo le scrofole, possono recarsi al mare* (2). Summo etiam cum emolumento in usum vocari possent cataplasmata ex resolventibus plantis parata, vel confecta ex eorumdem decocto cum aliqua resolvente farina, puta lini, hordei, similium sociato. Veretur attamen ASSALINI, ne emollientia cataplasmata, suppurationem saniori praxi contrariam accelerent; hinc aquae GOULARD, et acetitis ammoniacae usum fidentius praescribi edocet.

XXXIX. Hactenus proposita praesidia licet et efficacia, et opportuna, imparia tamen frequentissime se praestant ad suppurationem arcendam. Tunc strumosi tumores volumine increscunt, superficiales, dolentes, mollesque fiunt, cuti adhaerescunt, quae et ipsa inflammatur, mox disrumpenda. Tumores hujusmodi lente in inflammatorium statum tendunt, neque in ulcus degenerant, nisi jampridem indubia se prodiderit fluctuatio. A phlegmonoideis tumoribus toto coelo tum forma, tum natura dissimiles in fastigium interdum assurgunt dicti tumores, quin tamen, ut inflammatorii solent, in apice aperiantur; tunc enim, quum aperiuntur, observare est in inflammatae cutis superficie exiguas aperturas sparsim huc illuc apparentes, per quas saniosus, vel purulentus humor erumpit. Quum vero hanc ad suppuratum proclivitatem per opportuna signa praesentem esse dignosces, jam inutilia esse resolventia dicas, aut saltem vix paria ad lentam eam phlogosim fovendam, ex qua suppurationis opus promoveatur. Talibus in rerum adjunctis emplastra, et cerata emollientia ex radice althaeae, foliis malvae, bulbo caeparum, liliorum alborum, ex farina triticea parata conducent.

XL. Ubi vero suppuratio jam absoluta fuerit, tunc vel ars collecto

---

(1) *Vid.* WANSWIETEN. *commentar. in* BOERHAAVE.

(2) BERTRANDI *op. cit.*

puri exitum parabit, praecipue si infensa ichoris officina non longe distet a partibus, quarum maximum sit in oeconomia momentum: vel si nihil inde pertimescendum sit, sibi committitur suppuratio, donec sponte aperiatur abscessus. Etenim, ut scite complures observant Auctores, quum difficili omnino negotio dicti tumores solvantur, solutioni favebit suppuratio. Non reticendum interim glandulas etiam ab aperto absessu, sive quia ex integro non abierint in suppuratum, sive quia in plurium glandularum acervo non omnes eodem tempore suppurant, sive demum, quod non raro suppuratio, uti animadvertit Monteggia, ocyor est in cellulari textu glandulam circumambiente, quam in glandulae parenchymate, duras, renitentes per diutinum tempus adhuc servari; quod quidem edocet a propositorum auxiliorum assiduo usu haud esse deflectendum, ut absoluta, et perfecta obtineatur suppuratio, quam unam perfecta tumoris resolutio, et cicatrix consequetur.

XLI. Ubi cuncta accurate vestigata medenti suadeant, ut abscessum aperiat, omnes in eo consentiunt Auctores, ut utiliorem censeant caustici applicationem, dummodo nulla hujuscemodi remedii usum vetent adjuncta. Re quidem vera stimulus a potentissimo agente tumori inditus confert ad excitandum, alendumque quemdam irritationis gradum suppurationi promovendae opportunissimum, ut tumoris durities, ac renitentia solvantur. Quae ex abscessu effluit materies, sive per se, sive arte aperiatur, si fluiditatem excipias, quae major ibidem est, vix differt a pure, quod parant abscessus phlegmonodei: prout talis evacuatur materies a puris indole sensim, ipsa recedens in serosum liquamen mutatur variis albicantibus coagulis commixtum, subsidet tunc gradatim tumor, latiusque fit ulcus, et irregulare. *Ulcus scrophulosum* hoc dicunt. Cutaneos margines dolentes, subtiles, atro colore tinctos, et a subjectis partibus sejunctos exhibent inde nata ulcera; utplurimum valdopere non dilatantur, neque profunde descendunt, at difficile coalescunt, nec ad cicatricem pronae sunt earumdem orae, ex quo fit, ut ad quatuor quinque annos, et ultra maneant aperta, sero admodum conferruminanda. Dum haec notatu di-

gna commonstrant ulcera scrophulosa, alii plurimi in aliis variis corporis partibus suboriuntur tumores, quos alia excipiunt ulcera, illos, quos modo notavimus, omnino analogos praesegerentia characteres; quod quidem ostendit, non longe a veritate nos recessisse statuentes rebellem morbum constituere strumas.

XLII. Porro si incertus adeo est effectus remediorum, quae adhibentur in scrophulis non apertis, quae generatim nonnisi affectionis initium constituunt, quid sperandum, ubi provectior fuerit morbus, magisque apertis ulceribus fatiscat systema? Ibi per se remedia imparia persaepe esse, aliaque exposci adjuncta complura, quae quandoque adventante pubertate obtinere visa sunt, ratio experientiae suffulta confirmat. At vero talibus vigentibus rerum adjunctis, alia ab aliis Auctoribus proponuntur praesidia. Se utiliter in usum vocasse unguenta ex praecipitato, et alumine (sulphate aluminae) tradit Monteggia. Utilia et erunt tum potassa caustica, tum lapis infernalis (nitras argenti). Hundervold ceu specificum habet praecipitatum rubrum (oxydum mercurii rubrum), quo totum imbuatur ulcus (1). Ex hisce usurpatis remediis eschara inducitur, quae, applicito suppurante epithemate, erit discutienda. Hac methodo non tantum boni puris opportunam educi copiam, sed et ulcus ad optatam deduci cicatricem Auctor contendit. Nec tamen omnibus incommodis vacare haec methodus censenda, ea quippe non silet Hundervold, quae incumbunt organis respirationis, et glandulis salivalibus: eo vel magis si late patentia ulcera occurrant, quae ut probe abstergantur, spectabilem remedii dosim requirunt. Hisce in casibus, ne nimia textuum copia destruatur, ne perampla superficies aëris contactui objiciatur, ne deformis cicatrix enascatur, saponem dictis remediis anteponendum consulunt nonnulli. Alias etiam strumosi ulceris festinari curatio poterit, recisis ejusdem marginibus infensum ichoris fomitem servantibus; neque sua carent laude et utilitate electricitas, et galvanismus in horum ulcerum curatione prudenter administrata, ut experti Alibert,

(1) *Vid.* HUNDERVOLD *tratt. delle ulcere delle gambe.*

et RICHERAND. Mirificos etiam effectus praestitit caloricum juxta methodum a cl. FAURE propositam administratum. Juverit monere hic loci, topica hactenus memorata praesidia vix quidpiam morbo sive locali, sive universali curando conducere, nisi una usurpentur universalia remedia superius memorata.

XLIII. Quamvis talibus praesidiis diutinum in usum vocatis glandulares, et articulares intumescentiae a scrophulosa tabe progenitae quandoque solvantur; non raro tamen contingit, ut nonnullae scrophulosae glandulae valdopere tumentes, ac durae immutatae persistent; tunc quidem emendata universali atonia, si partis sedes haud vetet, suadentibus sapientioribus Clinicis, *extirpatio* tentanda (1). Haec autem triplici methodo peragi potest, videlicet *ferro*, *ligatura*, et *caustico*. Nulla ex hisce generatim praeferenda, quaevis proprios habet casus, in quibus utilior videatur: hosce casus definire prudentis Medici erit. Haud dissimulandum attamen, ubi nulla vetuerint, laudabiliorem fortasse methodum eam esse, in qua instrumenta incidentia adhibentur; promptior enim est, et minus doloris infert, et melius affectam partem extirpat, demum medens facilius potest ejusdem actionem opportune moderari; nihil autem vetare dignosces, quum certus fueris a subterpositis partibus tumorem esse sejunctum, nec juxta et prope magna vasa, et nervos collocatum, nec grandioribus vasis instructum.

XLIV. Ubi vero instrumenta incidentia commode usurpari nequeant,

---

(1) *Licet GARENGEOT, et PETIT opinentur instrumentis incidentibus extirpari posse hujuscemodi tumores, rati induratas glandulas numquam sanis adhaerescere partibus, non tamen ii sunt, qui propriam sententiam adductis curationum exemplis tueantur. Contra BERTRANDI testatur se scrophulosorum cadavera reserasse, in quibus colli glandulae arcte adeo subjectis partibus adhaerebant, ut absque laceratione sejungi non possent: hinc patet cur non infrequenter male cesserit operatio, lethali inde secuta hemorrhagia, uti vidit ALBUCASIS, testaturque se vidisse FRAGOSO, aliique permulti viderunt: uti sexcenta comprobant exempla, quae uberrima collegerunt Auctores omnes, qui scripsere de strumis.*

vel memoratas sedes occupet tumor, satius tunc erit ad alias methodos confugere; a prioribus quoque abstinendum, si pavidus sit aegrotans (1): neminem enim fugit quantum ad operationis faustum exitum pacatus conferat animus, ita ut etsi optime instituta, possit lethalis evadere, si deprimens animi pathema, aut ipsi adsocietur, aut ipsam consequatur.

XLV. Tumores articulares, quos scrophulae gignunt, inter initium methodo antiphlogistica curandi, ea profecto ratione ac de tumoribus glandularibus diximus; sic enim inflammatio defervescit, lenitur dolor, quod quidem ubi assecutus fueris, resolventia praescribes. Non est cur moneamus, nunquam esse negligenda interiora generalia remedia, de quibus alibi mentionem injecimus; at vero praeter memorata nonnulli cum MEJER et REIL vomitoria commendant (2) HUFFELAND eruditam dedit dissertationem, in qua laudat remedium paratum ex drachmis tribus extracti dulcamarae, drachmis duabus senegae, drachma una cicutae solutis in uncia una vini antimoniati HUXHAMII, addita una uncia aquae cinnamomi, quod a quatuor ad octo guttas quatuor in die sumendas, praescribit, opportuno propinato decocto.

XLVI. Si minus activa fuerint usurpata remedia, vel immature praescripta, adeo ut in suppuratum abeat tumor extra capsulare ligamentum assurgens, instituenda curatio, exitu parato puri ibi congesto: tali consilio setaceum proponitur. Raro interim morbi vehementiam obtundunt sapienter etiam tentata remedia: quae quidem ubi constanter irrita cedant ad partis amputationem ceu ad sacram anchoram confungiendum; id autem auxilii genus tunc praecipue conducet, quum

---

(1) *Sunt aegrotantes, quin et integri populi, qui adeo timidi sunt, ut spei sanationis, quam dat chirurgica operatio, lubentes praeferant aerumnas, quas innumeras morbus producit. Sunt et gentes, quibus accensenda Tyrolensis, propriae infelicitatis, dixerim, oblitae aliquid gloriae in strumis collocasse videntur. Voy.* HEISTER *instit. de chirurg. tom. 3, chapitr. 103, pag. 153.*

(2) *Vid. bibl. chirurg. tom. 2.*

majores plectentur articulationes. Difficilius enim curantur tumores genu, pedisque articulos occupantes, ac illi, qui sedem delegere suam in cubiti, carpi, aliisque similibus minoribus articulis (1). Si de pueris agatur, in quibus scrophulosi articulares tumores curandi se offerant, extirpatio non nisi cum cautela instituenda; constat enim ex observatis a LATTA institutis, pueros articulorum suppuratione, et carie laborantes ulla absque operatione convaluisse. Unum adhuc superest, quod moneamus; pessimam videlicet esse consuetudinem, quae apud ignarum vulgus, et empyricos invaluit, saturninis scrophulas a corporis superficie removendi. Sic enim non curant, sed repercutiunt morbum, unde graviora sobolescunt mala: hinc ophtalmiae, haemoptyses, apoplexiae subortae. Sedulus itaque caveto, ne cutaneam eruptionem importune perturbes. Si tamen cutaneae scrophulosae affectiones molestiores evaserint; fonticuli, setacea, vesicatoria diutius aperta servata merito commendantur (2). In purulentis affectionibus, quae soboles sunt scrophularum, uti abscessus ad scapulas, lumbos, musculum psoas, accommodatissima erunt actuosiora stimulantia. Ulcera ampliora, utpote quae fonticulorum expleant vices, raro ad cicatricem deducenda, nec nisi iis adhibitis cautelis, quae morbi adjuncta docebunt; quod ut rite sapienterque institui queat, expertum decet clinicum: ibi vero potissimum elucescet medentis sagacitas.

---

(1) *Vid.* MONTEG. *loc. cit.*

(2) *Hujusmodi emunctoria si mature usurpentur, utilia et ipsa esse possunt in vitiis strumosis ossium, et articulationum. Etenim dum remedia imparia sunt ad scrophulosam diathesim emendandam, ad sanas partes ab affectione praecavendas non parum conducere videtur morbosam reactionem artificiali irritatione ad corporis superficiem provocare; quod quidem utile multiplex experientia comprobavit.*

THESES.

EX CHEMIA.

I.

Duplici modo paratur *oxydum mercurii rubrum*, nempe vel mercurio metallico, vel nitrate mercurii igni exposito.

II. Oxydum mercurii rubrum constat ex novem mercurii partibus, et una oxygenii.

EX ANATOME.

I. Vasa tenuissima, pellucida, firma, extus geniculata, intus plurimis conferta valvulis, mire irritabilia, ubique corporis effusa, venoso more procedentia, *lymphatica* appellantur.

II. Corpora olivaria, vel subrotunda, quae in decursu vasorum lymphaticorum reperiuntur facta ab expansione, et intertextu memoratorum vasorum, praedita ductubus inferentibus et efferentibus, *glandulae conglobatae* dicuntur.

EX PHYSIOLOGIA.

I. Systema lymphaticum caeteris in prima aetate praepollet.

II. Glandulae conglobatae a natura positae fuere, ut quadam ratione lymphae elaborationem absolverent.

EX MATERIE MEDICA.

I. Inter subsidia in strumis utilia deprehensa, non spernendum tenent locum alimenta eupepta, moderatus vini usus, similia.

II. Cortex peruvianus, martialia, antimoniata in scrophulis curandis persaepe usurpanda.

EX HYGIENE.

I. Quantum valeant ad strumas producendas cohabitatio in locis humidis, paludosis, alimenta impura, vita sedentaria, immundities etc., quotidiana commonstrat observatio.

II. Evitanda ergo sunt loca impura; non abutendum alimentis; mundities vero potissimum servanda.

EX INSTITUTIONIBUS THEORETICO-PRACTICIS.

I. Quum generatim morbi sint semper in ratione directa praepollentis actionis alicujus systematis: hinc facile explicatur, cur frequentiores sint strumae in iis, in quibus systema lymphaticum prae ceteris evolutum est.

II. Universalis strumarum curatio in tonicis, et roborantibus praecipue reponenda.

V. CHIESA.

V. BELLARDI.

Imprimatur.

PROSPER BALBUS
Rector Academiae Taurinensis.

50